

quoque prohibet transgressionem : unde sequitur præceptum charitatis negativum esse *generale*, et ad observationem præceptorum omnium pertinere. Quatenus *affirmativum* est, dici etiam potest generale imprimis ratione *finis*; quia, cum, teste Apostolo 1. ad Tim. 1. 5. *finis præcepti sit charitas*, reliqua omnia præcepta ex se referuntur ad charitatem, et diversi virtutum actus ab illis imperati totidem sunt dispositiones et media quæ ad charitatem nos conducunt : deinde etiam ratione *perfectionis* tum ipsius charitatis, quæ haberi nequit sine impletione omnium præceptorum; tum præceptorum, quorum actus formantur et quoad vim meritoriam perficiuntur a charitate. Hoc vero sensu charitatis præceptum affirmativum non esse generale, quod omni tempore sit eliciendus actus charitatis aut referenda sit actio ad Deum propter se dilectum, liquet ex dictis.

Ad prob. 1^{am}. R. D. Generalis jussio est : *diliges*, sumendo dilectionem minus proprie et pro quocumque actu bono C. sumendo dilectionem proprie *subd.* est jussio generalis ratione finis vel perfectionis C. ratione obligationis N. In duplici duntaxat sensu concessio assertam a S. AUG. sententiam patet ex contextu; *primus* enim apparet in verbis proxime subjectis : *Unde breviter Paulus quodam loco utrumque complexus est. Prohibitio enim est : Nolite conformari huic seculo; jussio autem : Sed renovamini in novitate mentis vestrae : illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad justitiam; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Secundus autem in verbis immediate præmissis : Dominus, qui verbum consummans et brevians fecit super terram, in duobus præceptis dixit Legem Prophetasque pendere; ut intelligeremus, quidquid aliud divinitus præceptum est, in his duobus habere finem, et ad hæc duo esse referendum : Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo etc. et Diliges proximum tuum tanquam teipsum..... Quidquid ergo Dei lege prohibemur et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur et jubemur ut duo ista compleamus.*

Ad prob. 2^{am}. R. D. Charitas ad actus totius vitæ humanæ extendit se per modum imperii habitualis C. per modum imperii actualis *subd.* ex necessitate finis proprii, et quando agit ipsa charitas C. ex necessitate finis alieni, et quando agunt virtutes aliæ N. D. THOM. *ibid.* ait : *Et ideo, quia charitas habet pro objecto ultimum finem humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam, extendit se ad actus totius vitæ humanæ etc.*

Ad prob. 3^{am}. R. D. Præceptum charitatis continet præceptum referendi semper et omni momento actiones omnes ad Deum propter se dilectum N. referendi aliquando et certis temporibus, quando scilicet præceptum charitatis affirmativum urget amorem Dei super omnia elicere C.

Inst. 1. Eccli. 13. 18. dicitur : Omni vita tua dilige Deum; et 1. ad Cor. 16. 14. : Omnia vestra in charitate fiant; ergo omnia vel ex ipso amore vel ex ejus motivo profluere debent; præsertim quia S. AUG. L. 1. de Doct. Chr. c. 22. n. 21. docet, nullam vitæ nostræ partem relinquere, quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re velit frui, præterquam Deo.

R. N. *Cons.* Hanc enim non evincit textus prior; tum quia in eodem additur : *et invoca illum in salute tua; quin tamen ex monito erui possit, nihil agendum, nisi orandum, et omnem actionem præter orationem esse peccatum : tum quia hic amor Dei et invocatio præscribuntur tanquam media contra sollicitationem a Principibus factam; quæ sicut non semper*

et quemlibet infestat, sic nec medium illi oppositum semper in usu esse necesse est. Deinde nec textus *posterior*; tum quia sensus est : Non in contentione, non cum ambitione et schismate, quod alias Apostolus in eadem ep. monerat, sed cum charitate Christiana vel mansuetudine facite : tum quia, si charitas etiam *proprie* accipiatur, monet in charitate habituali seu statu gratiæ esse faciendum, cum similiter habitum virtutis intellexerit, ubi v. 13. dixerat : *state in fide* : tum quia, si de charitate actuali etiam accipiatur, consilium hoc monito continetur, non autem præceptum. Denique AUG. agit de fruitione creaturæ, et prohibet duntaxat finem ultimum in creaturis ponendum, non autem earum usum.

Inst. 2. Apost. 1. ad Cor. 10. 31. inquit : Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite; et ad Coloss. 3. 17. Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi etc.; ergo datur præceptum, omnia et singula etiam omni tempore saltem virtualiter referendi ad Dei gloriam; quia S. BERN. serm. 3. de divers. ad prius ait : Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei, et D. THOM. exponens testimonium posterius scribit : Quidam dicunt quod hoc est consilium; sed hoc non est verum.

R. N. *Cons.* Admisso etiam præcepto in utroque textu, 1^o. *negativus* textus prioris sensus hic est : Cavete omnino, ne quid faciatis divinæ gloriæ adversum, aut scandalum comestione idolothytorum vel alia re detis, quo Deus vituperetur; qui sensus ex contextu colligitur v. 28. *Si quis autem dixerit : hoc immolatum est idolis; nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam; et v. 32. Sine offensione estote Judæis et Gentibus et Ecclesiæ Dei.* Unde S. CHRYS. hom. 25. in 1. ad Cor. 10. v. 31. 32. ait : *Deus per omnia glorificetur. Sine offensione estote Judæis et Gentibus..... hoc est, non detis alicui ansam : frater enim offenditur, et Judæus te magis odio habebit; et te condemnabit, et Græcus similiter te tanquam helluonem irridebit, etc., S. AUG. in Psal. 34. serm. 2. n. 16. inquit : Tota die Deum laudare quis durat? suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis... Discedis ut reficiaris? noli inebriari et laudasti Deum : discedis ut dormias? noli surgere ad male faciendum, et laudasti Deum : negotium agis? noli fraudem facere, et laudasti Deum.*

2^o. *Affirmativus* ejusdem primi textus sensus est iste : Omnia fiant ordinate et sint talia, unde Deus laudari valeat et ejus gloria promoveri; quem insinuat S. AUG. in enarr. in Psal. 146. n. 2. *Cum manducas et bibis, psalle, non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modeste et frugaliter et temperanter manducando ac bibendo; quia hoc dicit Apostolus : Sive manducatis, sive bibitis etc.* Unde S. THOM. cum priora AUG. verba retulisset Lect. 7. in 1. ad Cor., sibi objicit : *Contra; ergo nullus actus est indifferens : Respondeo, inquit, Relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu vel in aptitudine referendi; quæ non solum est in bonis, sed etiam in indifferentibus.*

Simili modo sensus textus secundi 1^o. *negativus* est : Non propter Simonem, non propter Moysen, non propter angelos Novantium, sed propter Christum ejusque gloriam facite, ut Theod. et Theophyl. apud Corn. a Lapide exponunt. Hinc S. THOM. Lect. 3. in hunc locum ait : *Dicendum est quod non est necessarium, quod omnia referantur in Deum actu, sed habitu. Qui*

enim facit contra gloriam Dei et præcepta ejus, facit contra hoc præceptum: venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum simpliciter.

2º. *Affirmativus sensus est: Omnia vestra opera talia sint, quæ cedere possint in gloriam Christi; Christusque sit vitæ vestræ et actionum finis ultimus, licet is singulis actionibus non attingatur, ut D. FRANC. SALES. D. THOMÆ sententiam exponit. L. 12. de Amore Dei c. 8. Hæc verba Apostoli, ut dicit Doctor Angelicus ea explicans, sunt in sufficienti usu et praxi, quando nos possidemus habitum sanctissimæ charitatis; per quem, licet non habeamus expressam et activam intentionem faciendi quidquid facimus, propter Deum, habemus tamen implicite contentam in unione et communione, quam cum Deo habemus, per quam omne bonum, quod facere possumus, una nobiscum dedicatum est divinæ bonitati. Cæterum actualem vel virtuale relationem suaderi hic duntaxat, patet luculentius ex textu posteriori, cum juxta omnes sufficiat opera referri ad Deum, sine respectu ad Christum.*

303. *Obj. II. SS. PATRES efficaciter pro necessitate relationis rejectæ pugnant. Nam 1º. solis operibus ex charitate factis concedunt bonitatem; sic AUG. in Ps. 67. n. 41. ait: Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei; et BERN. serm. 1. in Octav. Pasch. n. 7. Ambitionis vanitatem virtus charitatis excludet, quæ sola castificat animam, sola purgat intentionem. 2º. Negant bonitatem operibus sine charitate factis; ut AUG. L. de Gr. et lib. Arb. c. 18. Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fit bene; et L. de Gr. Chr. c. 26. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? Item CHRYS. hom. 19. in ep. ad Hebr. n. 2. Nullum est bonum, quod non per charitatem fiat. Eam igitur inter nos confirmemus. 3º. Præceptum de relatione operum ad Deum enuntiant; ita AUG. L. 1. de Doct. Chr. c. 22. n. 21. Hæc regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges Deum ex toto corde etc., ut omnes cogitationes tuas et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers; et CELESTIN. in ep. ad Gall. Episcop. c. 5. (Labb. t. 2. p. 1615.): Omnia studia, et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt. 4º. Opera relatione hujusmodi carentia declarant virtutes falsas et peccata; sic enim AUG. L. 5. de Civ. c. 12. n. 4. Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit ubi est bonum hominis, quo melius non est; et L. 4. cont. Jul. c. 3. sup. cit. Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto sine peccatum est; hunc autem finem esse bonum æternum, creatorem vel gloriam Dei, tum ibidem tum alibi exponitur.*

R. N. Ass. *Ad prob. 1ºm. D. Solis operibus ex charitate factis tribuunt bonitatem excellentem et summam C. qualemcumque sive naturalem sive supernaturalem N. Ratio cur sancti Patres sola charitatis opera appellent per excellentiam bona, petitur ex 1. ad Cor. 13. 3. Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest; scilicet quantum ad meritum vitæ æternæ. Hunc vero sensum esse ostendunt de primo textu verba præmissa: Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam, ut deinde ipsa fides per dilectionem incipiat operari; ea quippe sola opera bona etc.: de secundo autem ipsa ratio; cum castificari vel purgari non modo dicatur quod ex malo fit bonum; sed etiam quod ex bono melius efficitur.*

Ad prob. 2ºm. D. Operibus sine charitate tam proprie quam improprie accepta factis C. operibus sine charitate proprie tantum accepta factis subd. negant bonitatem perfectam secundum quam actus est meritorius, ut D. TH. in 2ºm. Dist. 41. q. 1. a. 2. ad 2. ait T. simpliciter omnem N. Priorem sensum convenire textui primo AUG., satis declarant verba ibid. c. 17. n. 34. præmissa: Ad Corinthios autem cum dicit, Omnia vestra cum charitate fiant; satis ostendit, etiam ipsas corruptiones, quas asperas et amaras sentiunt qui corripiuntur, cum charitate esse faciendas: posteriorem autem secundo textui prodi subjecta sententia: Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur. Utrumque sensum applicari posse verbis CHRYS. tum ratio, tum alia ejus testimonia, hom. 67. ad pop. Antioch. (al. in 2. ad Timoth. hom. 1. n. 4. et in epist. ad Philipp. hom. 41. n. 2.), probant. Præterea illud sine charitate a Patribus nonnunquam usurpatur contrarie, aut emphatice, quo etiam modo GREG. hom. 13. in Evang. n. 1. dixit: Nec opus bonum est aliquod sine castitate, aut alii de humilitate locuti sunt.

Ad prob. 3ºm. D. Enuntiant bona omnia opera esse referenda ad Deum, h. e. Deo tanquam auctori tribuenda et adscribenda C. h. e. ad Deum tanquam finem dirigenda subd. formaliter vel virtualiter ex parte operantis et quidem ex charitatis motivo N. habitualiter vel virtualiter ex parte operis C. Priori sensu accipienda CELESTINI verba docent tum quæ statim subjiciuntur: Quia nemo ei aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donaverit; tum usurpatio aliorum etiam Patrum, qualis est illa PROSPERI, in Resp. ad Capit. Gall. ad obj. 15.: Bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sunt. Posteriori autem sensu quamvis AUGUSTINUM accipiendum dicamus, tamen imprimis nihil decernit de modo referendi: deinde nec motivum charitatis proprium exigit, cum toto illo capite commendans dilectionem loquatur de dilectione concupiscentiæ, amore spei et eo quo frui Deo cupimus: denique nec illam præscribit regulam, qua homo simpliciter bonus aut non malus fiat, sed qua optimus; unde ait: Tunc quippe est optimus homo, cum tota sua vita pergat in incommutabilem vitam, et toto affectu inhæret illi.

Ad prob. 4ºm. R. D. Opera relatione hujusmodi contrarie carentia declarat peccata et virtutes falsas C. opera relatione hujusmodi mere negative carentia declarat peccata N. Declarat falsas virtutes subd. quatenus non sunt veræ virtutes in sensu theologico et more Christiano nec utiles ad veram felicitatem consequendam seu meritoriam T. quatenus ne quidem intra latitudinem virtutum acquisitarum sunt virtutes veræ N. Distinctio prior insinuat a D. THOMA 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. Actus alicujus charitate carentis, cum facit aliquid in ordine ad id per quod charitate caret, semper est malus: sicut Augustinus dicit in quarto contra Julianum, quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum; etiamsi nudum operiat vel quidquid aliud hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. Ostenditur vero etiam ex ipso AUG.; tum quia ibid. n. 22. subjungit: Bonum est ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti; sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit: absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis vel in seipsa, non in Domino

gloriatur. Posterior rursus insinuatur a D. TH. 1. 2. q. 63. a. 2. ubi distinguit inter virtutes morales acquisitas et infusas, et has vocat *perfectas et simpliciter dicendas*, quia bene ordinant hominem ad finem ultimum simpliciter; illas vero secundum quid virtutes, non autem simpliciter, cum ordinant hominem bene respectu finis ultimi in aliquo genere, non autem respectu finis ultimi simpliciter, h. e. ut ibidem explicat, in ordine ad finem supernaturalem. Item declaratur a S. AUG. L. 4. cont. Julian. c. 3. n. 19. ubi dicit: *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalis fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes; qui paulo supra referens ex Ciceronis L. 2. de Invent. definitionem virtutis, virtus est animi habitus, naturæ modo atque rationi consentaneus*, subjungit: *sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt*. Cæterum præcipue negamus, peccatum esse actionem virtutis infusæ sive moralis sive theologice a charitate non imperatam; tum quia AUG. loquitur de actionibus infidelium naturaliter tantum honestis: tum quia mentionem non facit charitatis in sensu proprio acceptæ.

Inst. 1. S. THOMAS aperte docet, dari præceptum referendi omnia opera ad Deum ex motivo vel imperio charitatis: sed hoc male exponitur sive de relatione *habituali*, sive de præcepto *affirmativo* speciali et a charitatis obligatione indistincto: 1^{um}. quidem; quia D. THOM. q. 1. de charit. a. 11. ad 2. ait: *Omnia actu referre in Deum non est possibile in hac vita; sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur*; et ibid. ad 3. respondet: *Unde habitualiter referre in Deum non cadit sub præcepto, sed virtualiter referre omnia in Deum cadit sub præcepto charitatis; cum hoc nihil aliud sit quam habere Deum ultimum finem*: 2^{um}. vero; tum quia S. DOCTOR loquitur de præcepto charitatis et præcepto referendi omnia ad Deum tanquam de præceptis duobus: tum quia licet præcepta charitatis et relationis dicantur ab eodem affirmativa, posterius tamen ob universalitatem actionum æquivalent negativo et sic pro semper obligat: tum quia, cum 1. 2. q. 100. a. 10. in 6. dixisset: *In hoc præcepto, Honora patrem, non includitur quod honoretur pater ex charitate*; subjungit: *Qui honorat patrem, licet non habeat charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti, etsi sit transgressor præcepti, quod est de actu charitatis; propter quam transgressionem meretur pœnam*; ergo.

R. N. m. Ad prob. 1^o. p. R. 4^o. D. S. TH. loco cit. rejicit relationem habitualemente improprie acceptam C. acceptam proprie N. Quid hic loci per habitualemente relationem S. DOCTOR intelligat, exponit ibid. his verbis: *Habitualiter enim refert in Deum, et qui nihil, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens; quæ utique sub præcepto non cadit, sed impropria est ac diversa ab ea de qua est quæstio: cum ista, quatenus relationem formalem præteritam connotat, afficiatur præcepto affirmativo, quatenus perseverantiam negativam dicit, negativo charitatis præcepto subjacere possit*.

R. 2^o. D. Idem exigit relationem virtualemente pro semper eamque subjicit præcepto charitatis negativo N. exigit aliquando et subjicit præcepto charitatis affirmativo C. Quandoquidem D. TH. in Resp. ad 3. dicit, referre virtualiter omnia in Deum nihil aliud esse quam habere Deum ultimum finem, alibi satis declarat præceptum hujus relationis non obligare pro semper, cum

in 2^{um}. dist. 41. q. 1. a. 2. ad 4. scribat: *Non oportet ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solum pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre*.

Ad prob. 1^{am}. 2^o. p. N. Ass. Contrarium D. TH. in 2^{um}. Dist. 40. a. 5. ad 6. aperte docet: *Si quæeratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam quæerere quando oporteat habitum charitatis exire in actum: quia quocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi*.

Ad prob. 2^{am}. N. Ass.; quia cum sit idem charitatis præceptum, quo Deum tenemur diligere super omnia, et quo tenemur omnia in ipsum tanquam in ultimum finem referre; sicut præceptum charitatis obligat tantum temporibus et non semper ad diligendum super omnia Deum, sic et certis duntaxat temporibus nec semper ad referendum omnia in Deum obligat.

Ad prob. 3^{am}. R. τὸ ἐὰν non est affirmantis, eum qui patrem honorat, semper et in omni casu, dum id sine relatione in Deum facit, esse transgressorem præcepti de actu charitatis; sed solum concedentis eum aliquando hujus præcepti esse transgressorem, si nempe tempore eodem obligat præceptum de amando Deo, quo obligat aliud de honorando parente: tum quia S. THOMAS seipsum diserte explicat ibid. ad 2: *Dicendum, quod sub præcepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum: et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est honorare parentes; sed ex vi hujus præcepti: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: et cum ista sunt duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; et ita potest contingere quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgreditur præceptum omissionis modi charitatis*.

Inst. 2. Homini nunquam licet in bono aliquo creato constituere finem ultimum: sed nisi virtualiter saltem referat actionem ad Dei gloriam, in bono creato constituit finem ultimum: cum juxta AUG. L. 4. cont. Jul. c. 3. n. 33. *Sine amore Creatoris nullis quisquam bene utitur creaturis*; ergo.

R. N. min. Hujus falsitas 1^o. patet in actibus supernaturalibus spei et amoris propriæ salutis, qui Deum tanquam finem ultimum attingunt, quamvis ex charitate propriæ tali non imperentur: 2^o. in actibus etiam moraliter tantum honestis, utpote qui, virtualiter saltem ex parte operis, referuntur ad Deum; quod expositiones Patrum et Angelici DOCTORIS allatæ satis convincunt: quin 3^o. vel in ipsis actibus venialiter peccaminosis patet, utpote qui ne quidem fruitionem creaturæ aut creaturam pro fine ultimo habere dicendi sunt. Sic enim S. BONAV. in 2^{um}. Dist. 42. a. 2. q. 1. loquitur: *Ad illud quod objicitur, quod amor venialis peccati est amor fruitionis, dicendum quod falsum est, secundum quod frui accipitur proprie, videlicet quiescere in aliquo tanquam in fine ultimo*. S. TH. autem, ubi in 4^{um}. Dist. 31. q. 2. a. 3. ad 3. asseruerat, quod utens matrimonio propter delectationem peccet venialiter, subjungit: *Dicendum, quod quamvis delectationem non referat actu in Deum, tamen non ponit in ea ultimum finem: et ideo non oportet quod creatura fruatur; sed utitur creatura propter se, se autem habitua-*

liter propter Deum. Unde patet utrumque convenire in eo quod negent peccatum veniale esse fruitionem creaturæ aut ejus pro fine ultimo usurpationem; quamvis differant in hoc quod prior peccatum istud nolit dici fruitionem nec usum, sed abusum; posterior autem usum dici posse contendat.

Ad prob. R. S. Aug. loqui hic de bonitate meritoria et utili ad salutem; unde subjungit: *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit*; et paulo ante præmiserat: *Quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere, scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternam Dei donum regnumque perducere.*

304. Obj. cont. 2^{um}. Relatio eleemosynæ in gloriam Dei, non est præceptum ipsius operis, sed tantum operantis; relatio ejusdem autem in gloriam vanam est finis prohibitus non solius operantis, sed ipsius operis; ergo.

R. Quod eleemosyna per se minus tendit in vanam, quam divinam gloriam; adeoque vana gloria multo minus est finis hujus operis ex se boni, quam sit gloria Dei; ergo si nihilominus in uno casu non solum operans sed et opus vitiat per excessum finis prohibiti, etiam in altero casu ipsum opus vitabitur per defectum finis præcepti.

Inst. 1. Eleemosyna, quando refertur in finem honestum, habet totum id quod requiritur ad actum intrinsece moraliter bonum, licet ulterius non referatur in gloriam Dei, quæ tantum est finis extrinsecus eleemosynæ; ergo.

R. Quod pariter eleemosyna ad finem honestum relata habeat omne quod ad actum intrinsece honestum requiritur, licet simul referatur ad finem vanæ gloriæ, qui finis magis extrinsecus est eleemosynæ quam gloria divina, utpote ad quam illa ex intrinseca sua honestate est referibilis.

Inst. 2. Vana gloria est causa eleemosynæ: omissio autem relationis in Deum non est illius causa; ergo.

R. Quod, juxta Adversarios, relatio in Deum sub obligatione peccati venialis debeat esse causa eleemosynæ, sicut vana gloria sub obligatione peccati debet non esse illius causa; cur ergo vitiatur eleemosyna ex fine prohibito, in quem refertur per excessum, et non vitiatur ex privatione finis præcepti, in quem per defectum non refertur? Quamvis autem non sit eleemosynæ præceptum, ut seipsam referat in Deum, sed operanti; neque eleemosynæ est prohibitum, ut seipsam referat ad finem vanæ gloriæ, sed tantum operanti, utpote qui solus subjectum legis esse potest. Præterea cum, juxta Adversarios, non referens actionem ad Deum sistat in creatura tanquam fine proximo, amor creaturæ erit etiam causa corrumpens ipsam actionem, sicut amor Dei est causa dignificans actionem ad Deum relata.

Inst. 3. Quod mancipium pingat imaginem elegantem, eamque domino in scio et invito vendat, peccat quidem: sed pictura ipsa non vitiat; ergo similiter si quis eleemosynam faciat, eamque non referat in Deum, eleemosyna in se manebit bona, quamvis homo illam in Deum non referendo peccet.

R. Si mancipio præcipiatur sub peccato ut actum pingendi in utilitatem

domini referat, actus pingendi est peccaminosus, non per seipsum, sed quatenus non refertur in finem sub peccato præceptum: si vero id mancipio non præcipiatur, exemplum ad rem non spectat, cum mancipium etiam tunc non peccet pingendo aut picturam vendendo in scio domino. Adhæc apertum est discrimen, pictura ab arte naturam imitante, honestas ab objecto, circumstantiis, ac fine regulis morum conformi, desumenda est.

ARTICULUS III.

AN ACTUS HUMANUS UT SIT MERITORIUS, DEBEAT ESSE VEL ELICITUS VEL IMPERATUS A CHARITATE?

305. Nota. Damnata sunt propp. 55. et 56. Quesnelli enuntiantis, *Deum non coronare nec remunerari nisi charitatem*. Convenit autem inter plerisque Catholicos 1^o. quod actus etiam infidelium naturaliter tantum honesti sæpius in hac vita obtineant a Deo retributionem temporalem: 2^o. quod actus quicumque peccatorum supernaturales etiam ante justificationem eliciendi de congruo mereantur gratiam: 3^o. quod actus justorum ex virtutibus sive infusis, sive acquisitis, et gratiæ auxilio profecti, licet a charitate nec elicitis nec imperati, de condigno mereantur gloriam saltem accidentalem ac etiam aureolas. Dissentiunt tamen circa meritum condignum gloriæ essentialis ac præmii substantialis; quia alii hoc tribuunt aut solis actibus a charitate elicitis, aut actibus quidem aliarum virtutum, sed saltem a charitate imperatis: alii vero ad ejusmodi meritum nec physicum charitatis influxum nec imperium aut motivum exigunt.

306. Dico I. Ut actus supernaturalis hominis justus sit condigne meritorius præmii substantialis gloriæ, non requiritur ut sit a charitate elicitus.

Prob. I. Ex SCRIPTURA, quæ non solum actibus a charitate elicitis, sed aliarum virtutum actibus proponit, promittit et designat præmium, quo substantia et essentia gloriæ intelligitur; ad Hebr. 13. 16. *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus*. Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me etc.* Matth. 19. 16. interroganti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Christus respondet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; et mox subjungendo enumerat mandata moralia. 1. ad Tim. 6. 17. *Divitibus hujus seculi præcipe..... bene agere; divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*. Sed hic referuntur actus aliarum virtutum, et designatur, proponitur ac promittitur præmium, quo substantia et essentia gloriæ intelligitur; ut patet ex similibus Scripturæ locis: Gen. 15. ubi v. 1. dicit Deus: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*; Joan. 3. 3. ubi Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei....., Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; aliisque innumeris V. et N. T. textibus vel vitam simpliciter vel cum addito æternam pro gloria essentiali usurpantibus.